

atque opportunō situ diligenda , ut hostes commeatu prohiberi , atque ad omnem rerum inopiam redigi queant ; aut , si vires experiundi opportunitas affulserit , manum haud dubia victoriæ spe conferere , ac profligare hostes possint : neque enim fortunæ aleam subire , & opulentissimæ ditionis imperium , sociorumque res incerto plerumque belli eventui objectare tutum fore censebant : mora , arte , studio tepentis Gallorum ardoris reliquias extingui posse ; ac fortunæ inconstantia erectum pulcherrimæ victoriæ fructum , in studio , prudentiaque præstantissimorum Ducum reponendum esse . His consiliis per Legatum Senatui significatis , ut Reipublicæ copiae Cæsareanis conjungerentur , facultas Imperatori , ac Legato permissa est ; injunctumque , ut oppidorum , ac urbium , quæ finitimæ hostibus sint , ratio habeatur , idque præsidii relinquatur , quod ad illas tuendas sufficiat ; cum præcipue a Laudensibus timendum foret , ne duobus Helvetiorum millibus , quos illis Gauferius subsidio miserat , aucti , Cremonensem , ac Bergomatum fines invaderent : idque illis in primis curæ esset , quantum studio , ac diligentia assequi possent , ut eo loco castra locarent , quo pugnandi optio a nostris ad hostes transferri non posset ; ne , victoria , quæ jam præ manibus teneretur , per negligentiam amissa , Insubres in discrimen adducti in eadem pericula Venetas ditiones traherent . His constitutis , cum pecunia Cæsareani laborarent , ne illius inopia mora maturandis consiliis injiceretur , ac quamprimum ex hybernis milites deduci possent , quam maximam possunt argenti vim undique colligunt , Clemente ad Cæsarem juvandum mirum in modum proclivi ; qui cum viginti aureorum millia Cæfaris Oratori persolvi jussisset , Florentinis , Senensibus , ac Lucensibus auctor fuerat , ut quidquid ex foedere deberent , alaci animo ad Italiam præsentem statum retinendum erogarent ; neque Francisco Sfortia aliquid , quod ad avitum imperium spectaret , omittente , qui propensa Mediolanensem voluntate , cunctisque populorum in se inclinatis animis , nonaginta aureorum millibus , quæ statuto tempore redditurum se polliceretur , adjutus fuit . Neque minus ea in re Venetorum studium extitit , qui a Cæsare rogati decem & octo aureorum millia , quæ ex pace Veneta debebantur , cum nondum